

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Friedrich Schomer

**De Commodis Et Incommodis Ex Venatione Sperandis Programma Quo Ad III
Orationes Solennes De Venatione A Totidem Lycei Wismariensis Alumnis A. D.
VIII. Id. Novembr. A. R. S. M DCC XXXII. ... Observanter Invitat**

Wismariæ: Typis Zanderianis, [1732]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1836328761>

Druck Freier  Zugang



Stadtschule zu Wismar.

Programme. 1731. 1732.

Mkl h

2020
(1731)

1896:2

ZFB ME

05. Aug. 1999

• entsäuert

Mull. h.
2020
(1731)

1732

Q. D. B. V.
DE

3

COMMODIS ET IN-
COMMODIS EX VENA-
TIONE SPERANDIS
P R O G R A M M A

AD III ORATIONES SOLENNES
QUO
DE

V E N A T I O N E

A TOTIDEM LYCEI WISMARIENSIS ALUMNIS
A. D. VIII. ID. NOVEMBR. A. R. S.

MDCC XXXII.

EX LEGATO

B. SAMUELIS PETERSENII,

HABENDAS

MÆCENATES PATRONOS
FAUTORES ET LITERARUM
AMANTES O. O. H.

OBSERVANTER INVITAT

M. JO:FRID:SCHOMERUS

LYCEI WISM: RECTOR.



WISMARÆ, TYPIS ZANDERIANIS.

* * *

Magnam imo maximam existimari venationis jucunditatem, vel ex eo satis colligi potest, quoniam non cives solum & Nobiles, sed etiam terrarum Principes, potentissimi Reges, & augustissimi Imperatores vehementi hoc corporis exercitio, mirum in modum delectati fuerunt & quotidie adhuc delectantur. Ex quibus ALBERTUS Imperator dixisse fertur : *Se quavis alia voluptate carere posse, venatione autem abstinere omnino negire.* Et hic venandi mos non nostra demum ætate invaluit, sed statim post repurgatum cœlestium aquarum inundationibus orbem, à Nimrodo cœptus, inde usque continuatus, & à majoribus ad nos transmisus. Licet vero cruentum videatur hoc venationis exercitium, semper tamen reperti sunt qui ejus licentiam ex fundamentis Sacrarum literarum, Juris Naturæ, Gentium ac Civilis, demonstratam dederunt, simul etiam, multiplicem illius usum & utilitatem Magnatibus vehementer commendarunt.

Constat qvippe, ex revelato Supremi Numinis verbo, Dominum in creaturas ratione destitutas, primis nostris Parentibus divinitus concessum, (a) mox etiam, conservatis in divina nave mortalibus, repetitum & confirmatum. (b) Hujus imperii & potestatis concessio, sine illius usu & exercitatione nulla esset, exerceri autem sine venatione plane non, saltem commode non potest. Acedit, qvod unicus ille ac supremus universi generis humani Legislator Deus ipse, venationis leges mortalibus per Mosen scripsit, (c) et Patrum primi ævi Principes, qvos Patriarchas vulgo appellare solemus, filiis suis venationis exercitium, non indulserunt solum, sed et perspicuis verbis illud exercere jusserunt, (d) qvorum exemplum deinde SALOMON (e) et alii Judæorum Reges imitati.

Enumeratis modo, qvibus venandi jus & potestas stabilitur, rationibus, jungunt alii varia qvæ ex eadem promanare dicuntur commoda. Sunt vero ea non unius generis, sed quadruplicem ejus constituere solent utilitatem. (f)

OECO-

OECONOMICAM. Cum Principum & aulicorum, interdum & reliquorum civium mensa, venatione cervorum, aprocum, caprearum, leporum & volucrum instruitur. Ursorum, luporum, vulpium aliarumque ferarum corio & pellibus teguntur & vestiuntur homines, aut adipem earum quemadmodum & avium reliquarum, quas comedere nefas putant mortales, ad varios usus medicos pariter ac domesticos adhiberit. Qvo etiam referendum, comimodum privativum seu negativum, quod sublata, quam bellua afferre poterat, noxa vel molestia, homini obtingit, etiamsi ad nihil amplius, prosit cadaver. Siquidem nimia ferarum quoque bestiarum copia, nisi e medio tolleatur, non solum hominibus & animalibus domesticis, victum praepreceptura eset, sed etiam universam tandem terram sic impletura, ut difficillima, ne dicam periculosa, hominibus foret habitatio. (g)

PHYSICAM. Perhibent enim, levem deambulationem ventriculo, equitationem capiti salutarem, venationem utrumque praestare, curas laevare, illudque exercitium bonam corporis valetudinem non conservare solum, sed etiam corpus vegetum atque robustius reddere. Unde factum, ut quam plurimi venationis studio dediti, aliis melius viderint & audierint, minus consenserint. **CAROLUM M.** Romanorum Imperatorem, eam ob causam venationis exercitium, ut rem saluberrimam, in senectute sua dilexisse & septuagenario majorem evasisse. Sic **FERDINANDUM I. R. J.** venationi interdum opera aliquid, non tam delectationis causa, quam valetudinis tribuisse accepimus. (h)

ETHICAM. Quia ex illorum sententia homo venationibus temperantior redditur, & sapientia instruitur. Qvod ut probent, provocant ad **JUGURTHÆ** exemplum, qui, **SALUSTIO** teste (i) statim initio ætatis non se luxui neque inertiae corrumpendum dedit, sed uti mos gentis illius est, varia corporis exercitia coluit, pleraque tempora in venando translegit. Et ad **PLINII** testimonium (k), quo judice, solitudo & silentium, quod venationi datur, magna cogitationis eruditæ incitamenta existimantur.

BELLICAM. Beili quippe & præliorum præludia exhibere creditur venatio, ob egregiam quæ inter utrumque intercedit similitudinem. Siquidem non cuiusvis est lustrare saltus, excutere feras cubilibus, sævo Leoni occurtere, Apro spumanti obviam procedere, impedita montium juga superare, invias rupes ac prærupta saxa transire, valles percurrere, densissima virgulta perreptare, cervos sternere, ursos & lupos venabulis excipere, damas & lepores fatigare. Hæc & similia qui peragit, heroicæ indolis indicia edidisse dicitur. Unde nullum studium est, quo impensis Principes delectantur, quam venatione. Hinc & XENOPHON (*l*) venationis exercitium, labori militari plurimum simile, quin ipsius bellicæ prudentiæ præludism esse, non affirmat solum, sed simul illos, qui ad bellum adsuefaciendi sunt, primis statim annis venationibus exercendos esse contendit. Cui hac in re calculum addit, egregius ille honesti & decori Magister CICERO: (*m*) Jam vero, scribens, immanes & feras belluas nanciscimur venando, & ut vescamur iis, & ut exerceamur ad similitudinem bellicæ disciplinæ.

Egregia sane, quæ huc dum allata, venationis commoda, quod si vero ad varia, quæ venationem comitari solent incommoda, simul respicere, aut ad tragicos casus, ex venatione ortos, mentis aciem dirigerem voluerimus, vereor, ne graviora, certe non minora occurrant. Quanquam enim inter heroicæ & regia studia merito repusat natura venatio, quippe quam virile exercitium vocabat Imperator ALBERTUS. Et quanquam olim hæc experientia juventutis, hæc voluptas fuerit, & his artibus futuri Duces imbuti, certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu; In eo tamen exercitio, etiam olim sapienter peccavere, & excedunt adhuc, Principes. Quam multi enim hodie inveniuntur, quibus magnificentum videtur, nihil spirare aliud nisi venationes, crepare eas interdiu, somniare noctu, venationibus indormire, cum venationibus evigilare, feras ac venationes jactare, chartis illinere, parietibus suffigere, saxis insculpere, inter feras & ferarum lustra vivere, inter feras seu vivas, seu pictas, seu fictas mori, & si quid neglectum, statim succensere, ad exempla LUDOVICO-

DOVICI XI Gallorum Regis, & JACOBI I Magnæ Britannie Moderatoris, qui non alicui irati raro à venatione fuerunt rever-
si. (n) Talia si ex nimio venandi studio metuenda, venationem plurima secum vehere incommoda, quis non videt?

Age dispiciamus quædam venationis incommoda & detri-
menta, & quidem.

OECONOMICA. Cum venationem exercens, nimio illius studio, equos ad venandum numero plures alit, in canes ve-
naticos, eorumque stationes, septa, cubilia, in plagas ac retia,
in venatores eorumque ministros, sumptus facit immodosos. Cum
quod multis populis sufficere in annonam poterat, unum nemus
devorat, quod multa millia hominum pascere poterat, unum
stabulum absunit. Cum ob nimiam ferarum copiam, deserun-
tur villæ, relinquuntur inculta jugera, pagi in exilium aguntur,
oppidis ac civitatibus alimenta detrahuntur, aut servitiis novis
misera agricolârum turba adeo debilitatur, ut Spiritum ægre tra-
hant. Si Princeps vel Dominus, ad exemplum ALPHONSI IV.
Lusitanorum Regis, venationi eum in modum incumbit, ut res
imperii plane negligat, quem Consiliarius quidam, ad saniora
eum redigere cupiens, candide quidem, & ex rei veritate, sed
libere nimis, his allocutus dicitur verbis : SIRE, souffrez s' il[“]
Vous plait, que votre Etat s'explique par moi, & que je m'ex-[“]
plique enfin pour lui. Souvenez Vous, de ce que Vous êtes, de[“]
ce que nous sommes, que ce n'est pas comme à un chasseur,[“]
mais comme à un Roy, que nous devons l'obeissance que nous[“]
Vous rendons; que Vous ne serez pas responsable devans Dieu,[“]
de Cerfs & des Sangliers, que Vots avez pris, mais de la maniere[“]
que Vous avez gouverné vos Peuples, qui sacrifient tous les jours,[“]
leurs biens, ou leurs vies pour votre intérêt & pour votre gloire.[“]
Corrigez Vous, Sire, & regnez en Roy; si Vous ne le faites, on[“]
est résolu & obligé même d'en chercher un autre.

PHYSICA damna numero plurima adduci possent, siquidem
plena sunt literarum monumenta, pleni gentium annales, exem-
plorum, qui venando amissam optimam valetudinem doluerunt.
Invenies ibi multorum cervices in persequendo lepore fractos,

vertices in queru collis, suras aprugno dentes scissas & lacera-
tas, quin ipsa illa amissa. Ex infinita segete pauca sufficient exempla. THEODOSII II. Imperatoris, WENCESLAI I. Bohem Regis & PHILIPPI Patris CAROLI V. R. J. Quorum, Ille, cum in venatione se exerceret, equo delapsus, affictus, inque lectica domum relatus, contraxit ex luxatione vertebrarum morbum, quo paulo post Constantinopoli diem obiit supremum (p) Iste in venatione primo alterum oculum amisit, unde luscus à scriptoribus appellatus, & iterum, dum intempestive venaretur, morbum ultimum contraxit. (q) Hic vero, secundum nonnullos pilæ lusu, secundum alios venationis æstu, ita incaluit, ut nullo videretur restingu potu posse, quo factum, ut jecore incenso, pulmones obruisse, sectionis medicæ indicio fuerit deprehensum.

ETHICA detrimenta ex venatione orta, pariter ocurrunt non pauca, eorum scilicet, qui infectando & trucidando feras feriores ipsi assumere mores, NIMRODUS, quem sacra pagina primum venatorem appellat, à ferarum sanguinolentis agitationibus & cæde, ad hominum jugulationem, tyrannidem & communis libertatis oppressionem, se contulit. Ipse JUGURTHA, cuius supra mentio facta, eodem SVETONIO (r) teste, sævitia aduersus amicos & cognatos suos grassatus est. ADHERBALEM excruciatum necavit, dein omnes puberes Numidas, atque negotiatores promiscue interfecit. GALEATIUS SFORTIA, & BARNABAS Vice-Comes Mediolanensis, ex acerbiore vindicta transgressionis legum venaticarum, in sævitiae opinionem incurrerunt. Dum ille agrestem, qui leporem contra edictum occiderat, cum pelle & ossibus mandere & vorare coegit, ex quo illi misere pereundum fuit. (s) Hic autem, integrum aliquando familiam, quæ aprum occisum, sale conditum comedebat, suspendio punire non est veritus. (t)

Ad BELLICA denique venationis incommoda, non immerito referuntur damna & vulnera hominibus à feris illata. Cujusmodi evenit Imperatori BASILIO MACEDONI, qui in venatione ingenitem percussurus cervum, zonam mirabili casu ramis cornuum ejus implicat, itaque raptatus confestim periisset, nisi aliquis comitum, disiecta ense zona, Imperatorem periculo exemisset, non multo post tamen

(1751)

carnem in ueris ex vulnera intestinis, cum cruciatu interiit. (u) THEU-
TEBERTUS, DIETERICI filius, Rex Lotharingiae, cum Anno
■ DLI. in venatione bubulum offenderet, & ad illius impetum vi-
tandum, post arborem lateret, bubulus tanto impetu in arboreum
incurrit; ut ingens ramus fractus, decidens, Regem humi prostra-
tum graviter vulneraret, ita, ut eodem die ipsi moriendum fuerit. (x)

Unius plagulae limites plura hujus generis exempla prohibent,
alias ex veteribus producerem ADRASTUM, qui in venatione
aprū occisurus, ATYN, CROESI Lydorum Regis filium, jacto
transfixit. (y) Dicerem Augustissimam Domum Austriae, ab istius-
modi calamitatibus, quæ venationeni comitari solent, non fuisse
immunem; sed veteris Adraſti jactum in ERNESTO, eodem fe-
rè fato ac casu fuisse repetitum. Siquidem ERNESTUS, ex vete-
ri Marchionum Austriae familia oriundus, Sveviae Dux, anno mille-
fimo decimo quarto, à Comite suo ALBERO, cum Pentecostes die
venationem exerceret, percussus. Cum enim Comes Principis Al-
berus in aprū forte telum direxisset, ictus aberrans, Marchionem
sustulit (z). Taceo MAXIMILIANUM I. Imperatorem venando
Rupicapras & Ibices, in summum vitæ discrimen saepius adductum.
MARIAM Burgundicam, charissimam ipsius conjugem, cum inse-
quendo feras equo decidisset, ob gravius acceptum vulnus, abor-
tum fecisse, mox eodem ex vulnera periisse.

Utrum hæc, & alia plura, ex venatione mala, necessario, an
vero contingenter tantum, ex dubio hocce corporis exercitio
fluant, inquirere & demonstrare, nec juvat, nec angusti intra
quos subiſſendum est, termini permittunt, potius ad id converten-
dus est stylus, cajus gratia arreptus. Accepimus ex publicis rela-
tionibus, Augustissimum Imperatorem CAROLUM VI. hodie
regnantem, Principem justissimum, clementissimum, mitissimum,
quem si alterum TITUM appellaverimus, non errabimus, cum su-
periore aestate, intra Bohemiae fines, venando se exerceret, infeli-
cissimo casu, Adraſti jactum emisisse. Cervum etenim percus-
sus, eodem globulo, quo cervum trajecit, Amicum suum, et inti-
moris admisionis Ministrum, Ducem de SCHWARTZENBERG
ita vulneravit, ut altero die animam efflaverit. Qvi casus, nobis
de

deOrationum argumento cogitantibus, occasionem præbuit, de dubia venationis alea qvædam meditandi. Negotium, inter tres juvenes dispergitum, qui in eo ingenium, memoriam et facundiam exercuere, Ex quibus

I. MARCUS ANTONIUS RUETZ, Wismar Megap. aget de eo quod pulchrum est in venatione.


II. MATTHIAS LAURENTIUS HAFEMEISTER, Kleina Megap. Venationis usum, commoda et jucunditatem prædicabit.

III. JO. MATTHIAS HINTZE, Wismar. Megap. Damna et indignitatem venationis contemplanda proponet.


Hi nunc maximæ spei juvenes, et optimorum Parentum Filii minime degeneres, crastino die cathedrali concident Scholasticam.

Ad eos itaque benevolè audiendos, ut DOMINI MAECENATES, PATRONI, FAUTORES et Literarum Amantes O. O. H. crastina luce, paulo ante horam X. freqventes confluere velint, meo et eorum nomine etiam atque etiam rogo.

- (a) Gen.I.26. (b) Gen.IX. 2. (c) Levit. XVII. 13. (d) Gen. XXVII. 3.4. (e) 1 Reg.IV.23. (f) Videsis MATHIAE Theatr. Hist. Praet. p.m.18. (g) Conf. Dn. Prof. HASSEN Synops. Scient. de Prud. Moral. Introd. in Jus N.p.m.508. (h) REINHARD. Theatr. Prud. Eleg. L.I. C.X. 16. (90) p.m.499. (i) de Bell. Jug. p.m. 21; seq. (k) Epist. L.I. Ep. 6. it: L. IX. Ep. 10. (l) in Cyrop. L.I. (m) Lib. II. de Nat. Deor. (n) REINHARD. l.c p.498. (o) CHEVRÆANA Part. II fol. 286. seq. (p) Cluver. Epit. Hist. p.m. 363. it. MATHIAE Theat. Hist. p.m. 733. (q) REINH. l.c. L.I.C IV. p.m. 257. (r) l.c p.m. 257. (s) Anton. Mar. Gratian de Casib. Viror. illusfr fol.51. (t) Paul. Jovius Elogior. Lib. II fol. 58. (u) Cluver. l.c p.m.431. (x) Gottfriedi Histor. Chronic. V. Th. p.m. 418. (y) Idem 1 Th. p.m. 74. (z) Cour. a Lichtenaw-Abbat. Ursperg. Chron. p.214. it. Hübner Hist. P.V Lib. III. p.m.465.







AM. Cum Principi & aulicorum, incivum mensa, venatione cervorum, apororum & volucrum instruitur. Ursorum, iarumque ferarum corio & pellibus tegunines, aut adipem earum quemadmodum quas comedere nefas putant mortales, ad ariter ac domesticos adhibent. Qvo etiam odum privativum seu negativum, quod afferre poterat, noxa vel molestia, hoi ad nihil amplius, proicit cadaver. Siquaque bestiarum copia, nisi e medio tollenibus & animalibus domesticis, victum etiam universam tandem terram sic impleme dicam periculosa, hominibus foret ha-

erhibent enim, levem deambulationem em capiti salutarem, venationem utrumvare, illudque exercitium bonam corporis conservare solum, sed etiam corpus vegetare. Unde factum, ut quam plurimi i, aliis melius viderint & audierint, minus LUM M. Romanorum Imperatorem, eam exercitium, ut rem saluberrimam, in septuagenario majorem evasisse. Sic FER- venationi interdum operæ aliquid, non , quam valetudinis tribuisse accepimus. (h) ia ex illorum sententia homo venationi, & sapientia instruitur. Qvod ut pro- GUR THÆ exemplum, qui, SALUSTIO tatis non se luxui neque inertiae corrumpens gentis illius est, varia corporis exer- tempora in venando transfigit. Et ad), quo judice, solitudo & silentium, quod a cogitationis eruditæ incitamenta existi-

A 2

BELLI-